Barlaeo

Amplissime ac Doctissime Barlaee. (323).

Pertinaci silentio finem imponere cur hactenus distulerim uno verbo causam habe, vel si mavis, duobus versibus.

Non placuit praestolanti prius esse molesto
Quam calamo posset pondus inesse meo.

qui eventus tandem cum inciderit in discessu amicissimi Vicquefortii, quicquid Hagae privatim publicèque rerum geratur, quo animo in Barlaeum veteres amici simus, quam illi pro ducentes quadringenta ± quadragies quater annumeratos velimus, coram ac disertè enarraturus est. ± novam hanc et speciosissimam silendi caussam nactus videor, cui indormire certum est donec ad Yae ripam in Muydano conveniamus, et profusâ garrulitate, si quid pauciloquio peccatum est, abundè compensemus. Vale Vir praestantissime et me ama, qui haec in aulâ raptim effutio. 10: Febr: 1642.

In Vitaulio quid heri actum sit convivio Villae inaugurali, Vicqfortio obiter exposui: summam rei ex ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ Edicto, quod ostendet, planè sine risu non capies. Muydam quoque nonnullâ manu epigrammatum varii argumenti instructus veniam.

Ioanni Oborskij Colomnae, Gubernatori Provinciarum Siu: et Sochacenae.

(324)

Non parum mihi negotii datum sensi, cum humanissimis, quas ad me dedisti literis, disquisitioni meae commisisti, quo magnoperè erga te tuosve officii genere tam prolixae voluntatis demonstrationem meruissem; quam primum verò me introspexi, longè diversa rei facies apparuit, et eum esse me quem debendi rerum jure vestro prosequamini non creditorem agnoscatis. Superest ergo a te ut petam et peto sanè quam impensissimè, ut hasce justiori vices vertere dignere~~ris~~, et oblatis frequenter argumentis quibus vel Tibi, Vir Illustris, vel dignissimo Te filio pro affectu quem utriusque amori ac munificentiae debeo, gratificari valeam, et hujus praecipuè dum in hisce regionibus vivet, commodis inservire, paulatim fieri is, reipsâ possim, cujus si non aliud

quidquam

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 114rv
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2934

quidquam propensum et ab ingratitudine alienum animum benevolentiâ tum demum vestrâ, reciprocique officii quodammodò dignum judicetis. Quo in voto si me desinere pat~~erit~~e, Deum Optimum Maximum, ut te diu multumque una cum illustri familiâ sospitet supplex veneror. Vale Hagæ Com: XIV. Cal. Febr. CIƆIƆCXLIII.

Illustri Dominationi Tuæ
addictissimus. C. H.

M. Zuerio Boxhornio.

(325)

Quod cum penè in procinctu essemus, Vir Amplissime fateor me, negotiis obrutum partim nequiisse, partim consultò distulisse, dum quotidiè ad vos excurrere, incassum destinarem, id serò nunc et seriò ago, gratias nimirum diu debitas pro insigni benevolentiâ ac humanitate, qua te ~~mihi~~ inscribere mihi adegerunt eruditionis tuæ et magnis incrementis, supra se atque ætatem provectæ prudentiæ nobilissimum documentum. Omnis mihi ~~in~~ hoc in elogio posteritas consentiet, nisi quod adversum te peccasse judicabere, qui a limine in præcepta tua impegeris, malè mihi impensâ operâ, quam ubivis terrarum satius tutiusque collocasses. Occurret non nemo tamen, qui cum tutelâ scires non indigere, prudenter eò te contulisse intelliget, unde palam esset, illam neque aucupari posse. Utcumque ceciderit cum non erimus, Vir Doctissime, scito me, dum sumus non nescire, qui et quanti scio. in eo verò maximè ἀπορεῖν, quâ me expedire valeam magni multique nominis gravi nexu. sufficit, si me amas, non infrequens argumentum, quo periculum facias, ecquid animi sententia verbis respondeat, quibus constanter asseror, esse me ac dum hic ero constantissimè futurum

Tibi addictissimum
C. H.

Summo amicorum illustri Heinsio salutem summam.

Barlæo uno spiritu.

(326)

Si benè tornatos Incudi reddere versus
Non properas Barlæe, vel hoc mihi tradere pensum
Invalido mihi, forte paras viduo utque Poetæ
Nec pœnas dare ferra jubes, nec crimine læsæ
Majestatis agis, quâ læsa est Tessala molem;
Durior incude es, neque tandem dignus amator
Cujus ob ardorem tot in unâ sede morentur
Majestas et amor viduæ noctesque diesque.

Nobile